

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Lautenbuch viler newerleßner fleissiger, schöner
Lautenstück von artlichen Fantaseien, künstlichen
musicartlichen lateinischen Muteten, mit fünff und sechs
Stimmen allerhand lieblichen teutschen, ...**


Kargel, Sixt

Straßburg, 1586

Widmung

urn:nbn:de:bsz:31-37340

IN SIGNIA
REVERENDISSIMI
ET ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DO-
MINI, DOMINI IOANNIS EPISCOPI
Argentinensis & Landgrauij Alsatiae &c.



IN HONOREM ET COMMENDA-
TIONEM MUSICAЕ.

C A R M E N.



VRBS antiqua mari medio, Latonia Delos,
Aegeo, toto media & celeberrima in orbe.
Oraclum quo non aliud vel certius olim
Nobilis sue fuit. stndio quo uisere magno
Summi confuerunt reges, urbesq; potentes.
Et sua quisq; Deo vel ferre aut mittere saltem
Munera certatim: tandem ut donaria templum
Vix caperet: ea religio, cultusq; deorum
Auro, non casto venerari pectore diuos.

Hæc inter, signum longè supereminet unum
Præclarum, stellas velut inter Luna minores,
Siue iuuat speciem externam, ingeniumq; notare
Artificis, seu vim penitusq; reconditæ sensa.

Suscipit Phœbus Charites sinistra
Virgines, dextra pharetratus arcum,
Dulce certamenq; trium sororum

Arbiter audit.

Dexteræ testudo data est canora,
Tibias scite tenet altera acres,
Fistulam auerso media ore diuam

Inter utramq;.

Concinunt ternæ Charites, corollæ
Sedulo intentæ, cupiunt corollam:
Ast Deus cunctas retinet sorores

Vnanimesq;.

Vidimus, fatur, studium Puellæ
Musicae vestrum, mihi nulla viætrix,
Palma non uni dabitur, sed omnes

Indico dignas.

Hæc species, hæc ora sacri pulcerrima signi.
At ficta quantus lateat sub imagine sensus
Quam varius, Phœbi ipsius referare sagacis
Permissu breuiter conabor, & edere vulgo.

Ergo Deas Phœbæ Charites quod visitur omnes
Complectens castis retinentes organa dextris
Musica: Maiores olim uelamine primum
Scilicet hoc voluere sacro, Citharædica posse
Illa quidem Venere grata, suauiq; lepore
Carmina contingi, sed non sine mente sonare.
Non cassos debere sonos, non organa spurcis
Esse iocis intenta virum, sed Apolline digna
Munera, sed grauibus coniuncta & rebus honestis:
Quæ vel magna Dei decantent munera summi,
Vel laudes celebrent & fortia facta virorum,
Vel pueri os balbum informet: quæ mœsta leuare
Corda queant, lætis vel iungere rebus honorem.

Sic socias verè Charites retinebit Apollo
Dux Sophiæ: sic vocis erit mentisq; verendum
Connubium: sic cōmoda erit & honesta voluptas:
Sic poterunt prodeſſe & delectare Poëta:
Perpetua Charites sic virginitate celebres:
Carmina sic Citharæ, sic organa casta sequentur.

Hæc autē tria non temere est, quod musica diuis
Organæ sint data virginibus, lyra, tibia, Syrinx,
Tibia bella, togam exornat lyra, fistula plebem,
Sic ut militibus, plebi, sanctoq; senatui
Cōstet, honos, sua ut ordinib. trib. organa constet.

Deniq; quod caput est, sapienti docta vetustas
Consilio diuos ipsos diuasq; præſſe
Carminibus confinxit, ut artem scilicet istam
Mon secus atq; alias, clarissima lumina mentis
Ingenuæ, esse Dei repperta & munera magni
Norimus, grata & memori quæ mente colamus.
Quisq; Dei resonet auctoris gloria, castos
Atq; hominū & rectos quæ conuertantur in usus.

Sigif. Sultzpergerus, Argentorati p.
Vigilia Epiphaniæ anni cl. l. lxxiiii.